



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Prologus F. Caesarii Heisterbacensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

LIBER TERTIVS, QVI
EST DEMIRACVLIS SANCTI
ENGELBERTI ARCHIEPISCOPI
ET MARTYRIS.

Prologus F. CÆSARII Heisterbacensis.

OCVLI Heli caligauerunt, & non poterat videre lucernam Dei, antequam
extingueretur. Lucernam Dei esse eum, cui diuinitus datum est, Ecclesiam
verbo, scripto vel exemplo illuminare, Saluator, qui lux lucis & fons luminis
est, in Euangelio ostendit, cum ait: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio;
sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Quia beatus pontifex En-
gelbertus, cuius actus & passionem in duobus libellis pro modulo ingenij mei dudum
explicavi, minus in vsu habuit gratiam predicandi, siue sacras scripturas exponendi, vel
spiritualiter conseruandi: multorum oculi in illius contemplatione caligauerant, vita forin-
seca in eo considerantes, at postquam per mortem carnis exinctus est, per lucem miraculorum de-
clarata sunt opera eius meritoria, que sibi conquiserat operibus Deo notis, maxime,
vt supradictum est, contritione, confessione & pro iustitia sanguinis sui effusione. Cum
enim heu tristis rumor occisionis eius insonuisset, multi, qui actus eius seculares noue-
rant, de salute eius desperantes, aiebant: Heu modo perdidit corpus & animam. Audie-
rant enim, quod à cognato suo Friderico Comite occisus esset, eo quod eum exhereda-
re vellet. Vnde necesse erat, vt signa eum sequerentur. Signa enim non sunt de substan-
tia sanctitatis, sed quedam indiciu sanctitatis. Nec fuisse necesse, Dominum Episcopum
Engelbertum miraculis clarere post mortem, si vita perfectioris fuisset ante mortem.
Beatus Emergisus & sanctus Agilolphus Colonenses Episcopi, ambo à nocentibus in-
nocenter occisi, martyrio coronati sunt, qui tamen post mortem paucis admodum signis
claruerunt: quia non erat necesse, vt post mortem commendarent miracula, quos ante
mortem commendarat vita sanctissima. Voluit Dominus in martyre suo demonstra-
re, quantum ei placeat pro iustitia stare, & vt occisoribus suis terrorem incuteret per
miracula. Vnde nobis de illo non est dolendum, sed quasi de martyre gloriandum? quia si cau-
sa martyris facit, sicut & facit, & ipse verè Martyr est. Martyris eius meritum duo com-
mendant, videlicet vindicta de inimicis eius, & gratia sanctorum, quam quotidie exhibet
de infirmis. De his miraculis ad iustionem successoris eius Domini Henrici Archipresulis,
aliqua scribere propono, & ea tantum, que mihi à personis veridicis sunt relata, siue à ve-
nerabili viro Gosvino, Ecclesia B. Petri Canonico, ab ore eorum, quos martyr sanauit,
excepta. Præterea miracula magna & crebra sunt in loco, qui vocatur Gnuelsberg, vbi
occisus est: vt ibi spiritu, hic corpore præsens esse non dubitetur.

PRAE-